

siquidem per hanc non incongrue illustratur veterum Philosophorum dogma, quo singulis membris, suum cuique Planetam assignarent. Eleganter hoc declarat Vossius de *Idololatr. gentil. Lib. II. Cap. 47. p. 209.* ubi ait: *Astrologi planetarum vim in quodvis corporis membrum colligunt ex quadam analogia: eoque cor, à quo vitalis spiritus, respondere ajunt Soli, unde vivificus mundi calor; Cerebrum humidum humectanti Lune, quicum etiam crescit & decrescit: Jecur, quod officina est sanguinis, analogum esse Jovi, Planeta sanguineo ac vitali: Renes, qui vires largiuntur partibus generationi inservientibus, subjectos esse Veneri, signo prolifica: Splenem atrabilis receptaculum competere Saturno, Planeta frigido & sicco, eoque melancholici humoris praesidi; ac fel sive choleram convenire Marti, planeta igneae naturae, eoque, ut ajunt, cholericis & iracundis: Pulmonem, qui aerem ac spiritum attrahit & emittit, ac praeterea loquela inservit, subdi Mercurio, planeta ventoso, qui Soli semper est praesto, nunc huc nunc istus discurrens, instar nuncii missi ac facundè promentis mandata domini sui &c.* Ex hac proinde harmonia non inconsulte concluditur, talia sidera non frustra in caelo esse posita, cum ad tempora annorum, dierum ac noctium discernenda, nec non ad fecundandam terram Sol tantum & Luna sufficere possint; jam vero diversissimas stellarum ac planetarum mutationes, conjunctiones &c. advertimus, quæ certè sine usu, ad homines speciatim relato, quippe cui tota mundi machina inservit, & certo modo subjecta dicitur, ornatus tantum causa in firmamento caeli non possunt existere, aut nullum plane ad homines habere reflexum, unde hoc ipsum agnoscit celebris **A. C.**, Theologus **D. Rungius**, qui in *pralect. ad cap. I. Genes. p. 55.* ita scribit: *Cum certum sit, astra agere in haec inferiora, nec ista tam illustria corpora, ornatus solum gratia sint condita, nec lucis tantum, cum ea Solis & Lune motu dispensetur, reliquorum vero Planetarum nulla interveniat operatio, frustra essent condita, quod cum absurdum sit, & magnas illorum conjunctiones mutationis aliquid afferre, experimentis com-*
proba-